

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 26. (*Neovidensis* 1806. Nro. 19.)

Ex Campis Elysiis
Oratio Politica.
De novo inito fœdere

Elysium. -- Meum. -- Die Martis 18. Mar. 1806. (Neov. 4. Martii.)

Sententia

Novum Regnum Neapolitanum ab hodierna
die facit partem fœderatarum civitatum
Imperii gallici.

Monitor 25. Febr.

Novum, multum significans vocabulum
natum est in Diplomatica; Gallia format fœ-
deratas civitates in Europa, ut suam poten-
tiam eo magis augeat, & ut forte tam diu
quæsitum propositum de æterna pace in ef-
fectum deducat. Sed qua occasione injecta
est mentio fœderationis? Non in situ *Æneæ*,
qui appropinquans littoribus italicis, videba-
tur sibi videre Italiam se nunquam obtentu-
rum; Hei mihi! suspiravit, quo magis acce-
do versus Italiam, eo magis illa recedit: *Ita-
liam video fugientem*; sed tempore occupati Re-
gni Neapolitani.

Ita est: — Sua Majestas Imperator, &

Rex Gallorum interfuit spectaculo de Achalia dato, tunc certior factus est de ingressu suarum copiarum in urbem Neapolim; illico imposuit Generali Meuton, suo adjutori mandata exequenti, ut hanc relationem post primum tragædiæ actum per comicum Talma publico significandam curet. Factum est, & publicæ ephemerides illam in hunc modum describunt.

Princeps Josephus Napoleon ex suo primario hospitio Capuae habito 14. Februarii scripsit Imperatori, ejus mandata esse executioni data, exercitum in tres partes divisum, se cum centro, cui Mareschallum Massena praefecerat, per fanum S. Germani & Capuam esse profectum, dextrum cornu ductore Generali Regnier per Terrecinam, & Cajetam iter fecisse, ac denique sinistrum cornu, ex italicis copiis conflatum, cui Generalis Lechi praeest, ivisse per Itri. Generalis Regnier veniens prope Cajetam Principi Hassiae, arcis praefecto, sequentes misit litteras ad faciendam deditionem adhortatorias:

Domine Generalis! Antequam operationes, quibus certe expugnabo arcem, quam defendit, inchoem, requiro Vestram Generositatem, ut suum statum, & necessitatem tradendi Cajetam exercitui perpendat; paucos habet praesidarios, pauca defensionis adminicula, & nullam spem suppetiarum; Intra breve tempus in summum conjiciam periculum omnes mihi resistentes, non potest au-

tem ignorare, quid sint tunc praesidarii, & incolae perpesuri. Notum est etiam, victricibus gallorum armis nihil posse obsistere, propediem totum regnum occupandum, & alium accepturum Principem. Nunc adhuc admitto honorificam capitulationem, & peto mihi responsum sine mora submitti; Hodie vesperi jam tarda erit responsio; non audeo oppugnationem Cajetae procrastinare. His Dominum Generalem exquisita aestimationis contestatione revereor.

Regnier.

Responsum: Iterata a Rege accipi mandata, ut hanc arcem, omni, quo fieri potest, modo defendam, cum itaque eodem tempore omnia necessaria media mihi supeditata sint, nil possum aliud facere, quam obsequi. Quare significo, me oblatam capitulationem non posse acceptare, fixumque mihi esse, fiduciae, a Rege in me collocatae respondere. Interea debito cum cultu maneo. &c.

Accepto Principis Hassiae responso Generalis Regnier invasit propugnaculum S. Andreae. 6. tormentis instructum, illudque expugnavit. Generali Grigny globus e tormento ejectus abstulit caput; erat is insignis miles, ejusque casum totus exercitus dolet. Reliquit uxorem, & filiam, utramque Princeps commendavit Caesari, petiitque facultatem assignandi illis pensionem.

Die 12. Febr. centum exercitus impetum fecit in urbem Capuam, quae ad fastam

de traditione quaestionem tormentis respondit. Die 13. venerunt legati urbis Neapolitanae ad Principem, & subscripserunt deditio- nem Cajetae, Capuae Pescerae, Neapolis, aliorumque locorum munitorum. Generalis Partonneaux, Neapolim est ingressus, & e vestigio occupavit omnia castella, quo etiam Princeps Josephus accurrit. Cum Neapolitani Officiales militare optaverint, formavit Princeps legiones neapolitanas, iisque praefecit officiales neapolitanos in Regno Italiae stipendia merentes; Protribunum in legione equitum desultoriorum Napoleon dicta, Pignatellium, nominavit tribunum in prima legione neapolitanorum peditum.

Princeps Josephus invisit Casertam, cujus aedificia illi pulchra, & splendida visa sunt. Populus Neapolitanus a primo terrore recreatus, perhumaniter accipit gallos, Anglis autem indignatur vehementissime.

Pulcherrimum in orbe regnum aquiret impo- posterum firmum, sed etiam sive guberni- um; Illud Imperator alicui e Principibus gal- licis conferet, stabilietque legibus, & uti- litate gentium juxta magnum illud principi- um, thronum, splendorem, ac potentiam, quibus Principes ornantur, supremam pote- statem, debere tendere in emolumentum po- pulorum.

Novum Regnum Neapolitanum ab hodi- erna die facit partem foederatarum civitatum Imperii gallici, debebat prius in suis funda- mentis concuti, quam illud aggrederemur.

Hic non potest Gallia de cupidine dominandi accusari, quid enim poterat amplius facere, quam intra decursum paucorum annorum ter veniam dare? Quos poterit imposterum inire tractatus cum Imperante, qui post elapsos 25 dies a confirmatione solenium, sibique utilissimorum conventorum eadem fregit? Gloria Galliae, & natura rerum acceleravit interitum Regno Neapolitano, nulla enim poterant amplius cum eo sanciri foedera. Præterea possessio provinciae Mediolanensis, & Neapolitanae per Principes gallicos vix aequivalet possessioni regni Neapolitani, & Hispanici per gallicos Principes tertiae Dynastiae.

Regni Neapolitani minima utilitas erit, ut libero fruatur commercio, nec subsit dehinc piratis maritimis Algiriensibus; primum autem, & maxime naturale emolumentum in eo consistet, ut non fiat amplius theatrum belli, sed per solida, felicitatem populi promoventia principia, & non per pravas, & indomitas animi affectiones regatur.

Honori cedit nationi Neapolitanae, praecipuas personas, quae ad eversionem solii collaborarunt, florentinas fuisse, & extraneas. Dominus Acton, ut notum, origine, & animo erat Anglus; Hic pecunias suas habebat in Anglia elocatas, nec unquam aliter metiebatur utilitatem Regni Neapolitani, quam ex utilitate Angliae. Absque dono prophetiae licet affirmare: Quaecunque domus tranquillitatem, & felicitatem continens

tis immolaverit affectui, & auro avidorum illorum ac insatiabilium speculatorum, privabitur throno, in gaudium omnium continentis populorum, & omnis nostrae posteritatis, qui post tot calamitates indigent tandem pace, & quiete, nec sinunt se amplius inanibus verbis deludi.

Huc usque publicae ephemerides. Sed quae politica notio subit animum audito verbo foederatarum civitatum? Suntne illae foederatae tantum, vel a gallicae politicae nutu pendentes? A morte Imperatoris Caroli Magni proximi agnati hujus in omni consideratione magni viri erant per pacta familiae conjuncti. Quae necessitudo tanti fiebat, ut progressu temporis omnes Europaei Principes genus suum ad eum referre adnisi sint. Propterea tamen bello se appetebant, nam, ut Imperator Iosephus II. dicere solebat, Respublica nullos numerat cognatos. Non suntne omnes in Europa Monarchae vel veteres, vel recentiore consanguinitate inter se nexi?

Quapropter foederatae civitates Galliae sunt illae, quae non modo nexu sanguinis, qui cum nova Dynastia Galliae per matrimonia conciliatur, verum etiam communi politica utilitate consociantur. Quia vero gallia suas vires contra Angliam convertit, coguntur omnes foederatae civitates in eadem cymba navigare Sic etiam, si politica Galliae alium aliquem Statum, sit ille in foederatione, vel non, aggressa fuerit, idem faciendum erit toti foederationi. Per id idea perpetuae

pacis
Abba
posui
foeder
norib
qui p

in E
ratio
poni
nunc
res
pass
tia,
tem
adeo
dera
reda
sita
Stat
Ang
num
eph
re p
Ach

qui
&
rien
nih

tio
sur
ver

pacis effectum sortietur, non quidem, ut eam Abbas S. Petri Henrico IV. imitandam proposuit, sed cum supremo imperio galliæ, quæ fœderationem circa suos limites ex meris minoribus, minusque potentibus Statibus erigit, qui politicæ fortioris adhærere debent.

Hanc fœderationem inægæ habituram in Europa superpondium, patet ex consideratione provinciarum, ex quibus illa componitur. Tota Italia cum regno Hetruriæ, nunc jam etiam Neapolitanum, omnes veteres Italiæ Respublicæ, quæ metamorphosim passæ sunt; Hispania, & Portugallia, Helvetia, Hollandia, nova regna Baviariæ, Würtembergæ, omnes Rheno finitimi Principes, adeoque media ferme Europa constituit fœderatas has civitates. Austria, ad quietem redacta, Borussia inter Galliam, & Russiam sita, Turcia, & Russia independentes adhuc Status sunt, & extra fœderationem positæ. Anglia propter ablatum Ducatum Hanoveranum manet solitaria; Hanc illa jacturam, ita ephemerides gallicæ, eo æquiori animo ferre potest, quod in sola hac provincia, uti Achilles in calce pedis vulnerari queat.

Cum igitur nemo sit ex non fœderatis, qui alios ad suam politicam cogere posset, & omnis coalitio juxta primum caput experientiae tandem dissolvatur, ista fœderatio nihil habet, quod a nova coalitione metueret.

Ex his inanefeste consequitur, Fœderationem juxta suum internum, & verum sensum longe gravius, indissolubilius, ac firmitus verbum esse, quam coalitionem. Fœderatio

est ferreis catenis colligata, coalitio tenui solummodo filo, quod prima oblata occasione rumpitur. In illa unius subversatur commodum, scilicet potentissimi, in hac quilibet suum privatum prosequitur. Hac de causa praestat esse in foederatione, quam coalitione, praesertim in his mutabilibus rerum adjunctis.

Idcirco in hoc sensu ait Gallia: — Novum Regnum Neapolitanum facit partem foederatarum civitatum imperii Gallici. *Quod erat petorandum.*

Miscellanea.

Publicæ ephemerides asserunt, certam adesse spem conservandæ in continente pacis; atque omnia, quæ in præsens fiunt, esse conditas de Germania Septentrionali dispositiones. Præterea narrant, a gallicis copiis occupatum esse Marchionatum Onalsbacensem, quin ea de re fuerit edoctus Borussicus Generalis, Comes Tauenzien, cum tamen Borussicum gubernium in similibus casibus necessaria soleat dare mandata. Item, In Borussia ad circulationem venturas schædas bancales per 5. 25. 50. & 100 Imperiales, ubi ad talia media nec tempore imminentis belli descensum fuit. Tum: Generalem Comitum Schulenburg, qui in Ducatu Hanoverano milites Borussicos, & publica negotia moderabatur, esse 27. Febr. Berolinum revocatum. Denique Dominum Luchesini ob invaletudinem se muneare legati ad Aulam Parisinam abdicasse.
